

trionem uersus deuantem, boreales, siue septentrionales: meridiem autem uersus meridionales, siue australes per literas .S. uel .M. in ephemeris cum gradibus, & minutis inferius sub planetarum motibus designantur. Pars autē quaelibet sena circuli ipsius (ut prædiximus) in latitudine ab egyptica siue in longitudine a signo quouis in portiones triginta diuiso, gradus equales dicuntur, quorum pars quaelibet minuta sexaginta comprehendit. Sicque minutū unum secunda non minus sexaginta complectitur. Ex quo per eundem sexagenarium numerum ad tertia, quarta, quinta, sexta, septima, & ultra (si libet) deuenies. Signa uero duodecim (habito respectu ad imagines cœli, quæ secundo mobili figurantur, siue ad stellas octauæ quocumque orbis) his nominibus, & characteribus, nec ob id temere tamen designantur, sed propriam quodlibet ipsorum significationis, ac figurationis causam retinet, quod ueluti etiam planeta quilibet ex septem inferius describendis dominium unū quodque proprium per membra hominis uirtualiter (ut infra) obtinere decernitur.

♈ Aries igitur cuiusmodi formam (ut prædiximus) octauo orbi stellæ affixæ efficiunt, quicquid propriis eiusdem characteribus uel figuris nono cœlo designatur, hic (ut uidetur) cornibus in capite erectis exemplariter figuratur. Ex membris humanis caput, & faciem hominis præseruans.

♉ Taurus itidem per cornua sic disposita figuratur, ex membris, collum, & gutturis nodum habens.

♊ Gemini uero per duos tractus coniunctos, qui amplexum Castoris, & Pollucis designant, humeros, brachia, & manus tuentur.

♋ Cancer per oculos oppositos, quos a facie, & tergo habere uidetur, figuratur insinuat, pectus, stomachum, costas, splenem, & pulmonem possidet.

♌ Leo per caudam ipsius protractam taliter figuratur, dorsum, cor, latus, & scapulas disponens.

♍ Virgo per fimbriam pallii uirginalis significatur, uentrem, uiscera, atque intestina dirigit.

♎ Libra per figuram instrumenti ipsius sic characterizatur, lumbos, inferiora uentris, pectinem & umbilicum tenet.

♏ Scorpio per aculeum post duos tractus emissum fingitur, inguina, uescicam, & anum regit.

♐ Sagittarius per sagittam demonstratur, femora, & coxas habens.

♑ Capricornus per formam pedis chorda alligati designatur, genua, & popliteum custodiens.

♒ Aquarius per aquam guttatim defluentem demonstratur, cruribus, & tibis æque prædominans.

♓ Pisces per characterem ferè amborum dorso coniunctorum figurantur, pedibusque & talis pariter dominantur.